



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Gr. 17

DISPUTATIO POLITICO-  
JURIDICA  
De  
H O M A G I O,

Von der Landes oder Erbhuldigung/  
*Supernò opitulante Numine,*

SUB

PRAESIDIO

*Clarissimi Consultissimiq;*

VIRI,

Dn. CHRISTIANI KREMBERGÆ / J.U.D. IN INCLV-  
tissimâ nostrâ Leucoreâ Pragmatici, eximij, Præceptoris &  
Promotoris honoratissimi, semperq; ad animum  
colendi;

*Academicis Discursibus*  
præsentata

PAULO ALBERTI ANHALTINO.

15. Octob.

1 6 2 4.

*Horis matutinis & loco solitò.*

---

WITTEBERGÆ,  
FORMIS HAKENIANIS.

Handwritten text at the top of the page, likely a title or header, which is mostly illegible due to fading.

Handwritten text in the upper middle section, possibly a subtitle or author information.

Handwritten text in the middle section, including the word "HOMAGIO" in large, bold letters.

Handwritten text in the lower middle section, appearing to be a list or index of items.

Handwritten text in the lower section, including the name "ALBERTI ANASTASII" in large letters.

Handwritten text at the bottom of the page, including the name "WILHELMUS" in large letters.





# FELICITER.



QVum super Homagiô frequenter oriantur quæstiones, ejusquæ ulus in curijs hodiè tam sit necessarius, quam obsonium in prandiô; utile fore ratus, quædam de eô Theoremata pro captu mediocritatis conscribillare, & rationum legumquæ decempedâ metienda Academici exercitiij causâ proponere. Incipium autem meritissimò facio juxta mentem Ulpiani ab Originatione vocis, quæ sæpiculè intimas rerum vi- ces adaperire adsolet, adfirmante Forcat. non tam Philosopho- rum more, quam Ictorum, qui summò etiam studiô vocabula explanarunt, uti clarissimè adparet ex princ. *Inst. de Testam. ex l. unie. §. 1. ff. de Offic. Quæst. l. 1. ff. de furt. l. 1. §. 1. ff. de pact. l. 51. ff. ad L. Aquil. l. 35. §. 1. ff. de Donat.*

## THESIS

I. Arbitrantur nonnulli Homagium esse vocabulum barba- rum, velut Vasallagiû, quare verò ita nominiterur, Doctores va- riè sentiunt. Rittersh. Homagium ab homine deductum scribit. Nam hominem alicujus fieri, idem est, quod subijci ei tamquam Vasallum, vnde & leutes sive leodes dicuntur Teutonicè *Zines seine Leutte*/vel plenius & usitatiùs *Lehn leutte*. Quomodo etiam in Jure Civili homines nostri adpellantur Servi & qui servorum ferè locò sunt mercenarij coloni &c. Exempla vide apud Cu- jac. *in Proleg. Feud.*

II. Alijs hæc vox Gallica videtur, Hommage enim ab homme, quod est homo seu subjectus, derivant, ut meus homo dicatur, cujus fides mihi est addicta, quâ in sententiâ etiam est M. Conra- dus Durbalius hujus Academiæ Linguae Gallicæ Professor publ.

III. Alijs Græcum adridet etymon, nec planè frustra, *ομοῦ* enim simul significat & *ἀγιον*, id est, sacrum, quasi commune Sacrum seu



Sacramentum. Verum cum cogitationum oculum licentiùs vagari patimur in spaciosissimum Græcarum Litterarum campum, nihil aptius nobis visum, quàm quod ab *ὄμνω* deviretur, quod est iuro, quia Homagium plerumq; est juratum. Quam derivationem calculò suò adprobat Borcholt *de Feud. cap. 2. n. 16.* Nos dicimus *Huldigung* ab *hult*/id est, fides sive à cultu seu potiùs ab *haltē*/id est, fervare, stare promissis. Dn. Matth. Mart. *in Lex. Philosoph.*

IV. Admonendi heic sumus, Homagij plerumq; tres species à Pragmaticis constitui; Obsequiale sc. Feudale & Sociale, totidemque ejusdem juramenta. Quemadmodum scribit Autor summæ Ruralis & consuetud. Nortman. Obsequiale definiunt venerationem cum promissione obsequij & operæ militaris, quod commodius militare dici posse opinamur, quoniam operæ militaris obligationem continet.

V. Feudale definiunt venerationem cum promissione fidelis & grati animi ob beneficium acceptum sine ullius operæ obligatione: cujusmodi pleraquè sunt, quæ Francogalliæ moribus præstantur. Et satius privatum indigitatur, quùm à cujusvis ordinis hominibus præstetur. Sed hæc Homagia plerumq; generaliter accipiuntur pro fœderibus, quemadmodum & Sociale, quod est, quò quis scalterius benivolentiam comiter observaturum promittit. Partulph. Prateus *in Lex. Jur.*

VI. De his autem hoc locò differere nostrum non est institutum. Neque etiam multa disputare adlubescit, de hac Homagij bigà, videlicet Domesticitatis alijs familiaritatis Germ. *Dienstpflicht*/quò tenentur omnes officarij alicujus Principis, Matth. Steph. *de Jurisd. Territ. pag. 215.* Vt sunt Consiliarij, Secretarij, Camerae Magistri &c. Menoch. *Conf. 825. n. 30.* Aut Clientelaris alijs Vasallagij, nostris *Lehnpflicht*/quod Domino Feudi exhibetur, de quò pereruditè differentes vid. ICtissimum olim Dn. Knich. *C. III. de Jure superioritat. pag. 83.* Et Matth. Steph. *dict. loc.*

VII. Verum negotium impræsentiarum nobis esto cū Homagiò Subjectionis, quod definitur Adsecuratio fidelitatis & obedientiæ, quam subditus facit Domino territorij sub cujus jurisdictione habitat. Vernaculâ nostrâ linguâ *Die Huldigung oder Erbpflicht*, Maul. *de Homag. tit. 1.* De hoc Homagiò loquitur *c. 1. qualiter*

*qualiter vasallus jurare debeat fidelit. referente Menochio conf. 825. n. 31. Proprieque adpellitari sivevit Homagium à Foriperitis. Antiquis Hominium aut juxta Jv. Carnotens Hominatum. Setzer de Juram. lib. 1. cap. 2. n. 5. Bocer. de Investitur. Feud. c. 4. n. 5.*

**IIIX.** Traditâ Definitione tum Nominis tum Rei; proximum nunc est rudiori penicillô Caussas deliniare. Et Efficientem quod attinet, putamus esse summâ illam Politicam, uti vocat Iason in *l. Imperiû de Jurisd. Carol. Sigonius Jus Superio de Regno Italiae lib. 7. In Othone Magno. Pontificij Juris compilatores majoritatē nominant t. t. de Majoritate.* Recentiores verò Superioritatem adpellant, item Jus territorij Principum, Jus principatus, Landes-**Obrigkeit**/ quod quinque potissimum juxta FF. modis adquiri-  
tur.

**IX.** Primus est concessio Principis seu Imperatoris per singulare privilegium, quemadmodum per hoc jura superioritatis habent nonnullæ civitates exemptitæ & privilegiatæ, veluti testatur Correferens in *caus. Fiscal. contra Bâyrern & Ordenburg. vel per investituram, Petr. de Greg. de concess. Feudi quest. 8. part. 1. scribente Matth. Steph. de Jurisd. lib. 2. part. 1. cap. 7. n. 125.*

**X.** Alter modus juxta jam dictum Autorem *dict. loc.* Est præscriptio & consuetudo. Sicut enim ipsum territorium præscriptione quæritur; ita etiam jurisdictio, quæ ei materialiter & passivè cohæret, & in eò quodammodo plantata est & radicata. Socin. *conf. 146. num. 22. volum. 3.* Quod ita considerat Referens in *caus. Hirmheim contra Churpflak ap. Meichs. tom. 2. lib. 1. decis. 8. n. 25. fol. 804.* uti scribit Reinkingk *lib. 1. class. 5. c. 2. n. 15. & 16.*

**XI.** Tertius modus esse potest conventio territorialis cum subditis inita per c. *grandi de suppl. negl. prel. in 6.* Pactionibus enim & stipulationibus posse quem hominem alterius fieri scriptitat Dn. Knich. 3. *Encyclop.* unde fit, quod negotium illud exigendi & præstandi Homagium, Homagialis contractus nominetur, ut adparet ex Spec. §. *Quoniam.*

**XII.** Quartus est cooptatio in numerum statuum Imperij, Matth. Steph. *dict. loc. c. 2. n. 186.* Qui enim inter status imperij refertur, eadem Juris dictione in suo territorio, quâ imperator in universono fruitur Gail. 2. *obser. 27. n. 7. Vult: de Feud.* Quod in civitati-

bus liberis Imperialibus usu venit, quæ inter status Imperij receptæ & liberâ in civitatem ejusquæ cives & subditos Jurisdictione donatæ, æquæ in civitate; quam principes in suis ditionibus territorialia jura Landes Ober vnd Herligkeit vnâ cum regalijs habere intelliguntur. *text. in constit. de pac. constant. vers. nos Romanorum. vers. volumus.*

XIII. Ultimus modus acquirendi superioritatem & consequenter Homagium exigendi, est successio, uti videre est ex formulâ juramenti subdit. *infra thes. 34.* Jurant namq; subditi Principi atq; suis hæredibus corûq; successoribus *Als jren Erb vnd angebohrnen Herrn, jhr Obrigkeit vnd dero nach kommen.* Socin *conf. 84. n. 9. vol. 3.* *Wer aber Erbher ist / ist auch Oberher / vnd wer Oberher ist / dem gebühret auch die Huldigung /* Wehner. *in verb. Landeshuldigung.*

XIV. Efficientem ad probô ordine sequitur Materia; quam secundum Logicorum traditionem consideramus vel in Qua vel circa Quam. Materia in Qua Homagium præstatur, est territorium, vel principatus, vel comitatus, vel baronatus &c. Schneidvy. *de Feud. p. 5. n. 68. Vult. 1. Feud. 6. n. 5.*

XV. Circa Quam sunt Principes & subditi pro ratione cujusquæ territorij. Principes qui exigere possunt Homagium, subditi à quibus exigi potest. Et hi conjunctim unum corpus constituunt, cujus caput Princeps & membra subditi, juxta mentem Cothm. *Conf. 4. n. 186. 199.* De singulis ordine breviter.

XVI. Principes distribuuntur secundum interpp. In Ecclesiasticos & Seculares. Reinkingk *lib. 1. cl. 4. c. 8. in fine.* Ex illis quidam sunt ArchiEpiscopi; quidam Episcopi; quidam Magistri Ordinum Equitum Teutonicorum; quidam Abbates, Prælati &c. Qui regali dignitate sunt præditi, & successionem ac votum in Comitibus habent. Reinkingk *d. lib. 1. cl. c. 9. n. 1.* Quos heic brevitati studentes pressius describere supersedemus.

XVII. Seculares sunt vel in specie sic dicti Principes, quales sunt in Imperio nostro Principes Anhaltini. In Belgio Princeps de Chimay & Princeps Arenbergia. In Hungaria Princeps Transylvania P. Bert. *Commentar. Rer. German. lib. 2. p. 213.* vel præter titulum Principis gaudent adhuc titulo ducis. Duces autem in tri-

plici



plici sunt differentiâ. Sunt enim vel Archiduces, vel Magni Duces, vel Duces simpliciter sic dicti.

XVIII. Archiduces inter seculares principem post Electores (qui etiam Principum nomine veniunt) locum obtinent & dignitate cæteris præpollent, veluti innuit Dn. Vult. *de Feud. lib. 1. c. 4. n. 14.*

Quales sunt Archiduces Austriæ & vocantur *Pfalz Herzogen*. Magni Duces ob singulares virtutes nomen Magni sunt consequuti & proximi sunt Regibus, paucisque accedentibus qualitatibus Reges effici possunt; quales sunt Magni Duces Florentiæ, Magnus Dux Muscoviæ &c. Indigitantur nostrò idiomate *Groß Herzogen*. Sed in Germaniâ non habentur. *Matth. Steph. d. loc.*

XIX. Duces simpliciter sic nominati sunt, quibus Princeps Sc. Supremus seu Imperator in beneficium regionem, quæ ducatus nomine veniebat, concessit, attestante Reink. *d. loc. c. 12. n. 3.* Quales sunt Duces Megapolitani, Pomeraniæ, Würtemberg, &c. Nostris *Herzogen*, Ethî omnes Homagium à subditis poscunt.

XX. Duces insequuntur Marchiones, qui etiam præter Principis titulum de Marchiâ sunt investiti, Dn. Vult. *lib. 1. de Feud. 4. n. 14.* tales sunt Marchio Brandeburgensis, Styriæ, Badensis &c. De quibus prolixè *Matth. Steph. de Jurisd. lib. 2. part. 1. c. 6. n. 91.*

XXI. Insuper sunt in Imperiò Principes, qui in specie Landgraffij dicuntur, vel Comites provinciales, exinde quod olim fuerint iudices & præsides alicujus Provinciæ. Vult. *d. loc.* Reink. *lib. 1. cl. 4. cap. 13. n. 11.* Heigius scribit Landgraffios ut & Marchiones olim ex Comitum genere fuisse, hodiè verò illis esse superiores, *Illust. questionum 2. n. 55. p. 1.* & in serie Principum collocari. Reink. *d. l. n. 12.* Principumque Juribus uti. Horum Schönborn. quatuor in Imperiò familias recenset: utpote Hassiæ, Turungiæ, Alfatæ & Leuchtenbergensis *Pol. c. 39. in fine.* Reink. *d. l. n. 15.*

XXII. Post Marchiones & Landgraffios sese nobis offerunt Comites Palatini quorum eadem est ratio cū iisdem; nam & hi Principes Imperii sunt & eandem cum his dignitatem obtinent. Sixt. *1. de Regal. 5. num. 119.* Reink. *d. l. n. 16.* Quid dicam? Comites Palatini Rhenani ad tantam eminentiam sunt evecti, ut jam inter seculares Electores post Regem Bohemiæ primatum teneant, uti liquet ex Goldast. *Pol. Imperial. p. 6. de investitur. Princip. Imper. fol. 367. 368. &c.* Vnde & nos illos eatenus consideramus, quatenus

tenus de principatu seu regione ea, quæ in Palatinatum seu cines  
Pfalzgraffschaff / directa est, investiti sunt, & jura superioritatum in  
suis territoriis habent. Itaque qui non sunt investiti tali prin-  
cipatu, improprie Comites Palatini dicuntur. Sixt. de Regal. l. 7.  
c. 4. n. 108. Quales sunt hodie in universò terrarum orbe quam-  
plurimi, & potestatem habent Doctores, Licentiatos, Magistros,  
& Baccalauros creandi, pro datâ ipsis ab Imperatore potestate,  
quos solent Bullatos adpellare, cujusmodi DD. LL. MM. BB. im-  
mediatè ab Imperatore creari refert Cl. Dn. D. Carpzov. Præ-  
ceptor meus honorandus in *Disp. de Regal. th. 27.*

XXIII. Post Comites Palatinos sequuntur Comites simplici-  
ter sic dicti, & vocantur *Graffen des Reichs* / qui Comitatum ali-  
quem vel per investituram vel per aliud medium acquisitum  
habent. Bald. c. 1. de his qui feud. dar. poss. juribusq; Imperatoris in suis  
comitatibus gaudent. Schrad. de Feud. p. 10. Sect. 1. n. 22. & seq. tit. 2.  
Reink. lib. 1. cl. 4. cap. 14. n. 24. id est, in suis territoriis nuncupantur  
Principes. Sichard. conf. 8. feuda! num. 51. Modest. Pist. part. 2. Quæst.  
70. n. 4. Matth. Steph. de Jurisd. lib. 2. part. 1. cap. 6. n. 112. igitur etiam  
Homagium à subditis polcunt.

XXIV. A Comitibus ad Barones devenio, quorum æquiparati-  
onem negat Carl. Mol. in consuet. Paris. t. 1. §. 20. n. 4. per text. in C.  
fundamenta §. proinde & §. finali de Elect. in 6. Cui suffragatur no-  
minis diversitas, quæ etiam rei diversitatem arguit. Quid? Quod  
& Barones plerumq; aliorum Principum sint vasalli, ut alias ra-  
tiones subiceam. At enim verò hisce non obstantibus, ad eo-  
rum castra transire, qui Comites & Barones quâ gradu, quâ digni-  
tate præsertim consuetudine Germaniæ parificari adsertant, acu-  
toribusquæ aliâs Argumentis jaculantur, tutius opinamur, ful-  
cris subnixa sequentibus: Quoniam Barones Regalem dignitatem  
non minùs quàm Comites obtinent Schrad. de Feud. p. 10. Sect. 1.  
n. 22. Quando videlicet habent castrum sub titulò vniuersali  
Baroniæ à Principe, Don Garf. Mastrill. de Magist. l. 4. n. 38. Cui  
adstipulantur Imperij Constit. novissimæ, quæ eosdem omninò  
æquiparant non solùm quoad LL. vestiarias, Reform. Pol. de An-  
no 1530. sub tit. *Von Graffen vnd Hern* / Sed etiam in munere ju-  
dicis & præsidum Cameræ Imperialis, *Ord. Cam. p. 1. t. 1. in pr. §. 2.*  
N. A.

X. A. de Anno. 1570. §. dieweil dan auch etc. Adde quod etiam Principes & Duces illum titulum ratione Baronatum, quos possident, usurpare nō erubescant. E. G. Duces Juliacenses inscribuntur *Herrn von Ravenstein* / Principes Anhaltini *Herrn zu Zerbst vnd Bernburg*. Comites Schaumburgici *Herrn zu Arnstadt*. Nihil dicam de nomine, quod commune habent cum Comitibus, vocantur enim Illustres, velut docet *Bl. in c. 1. in pr. num. 6. de Feud.* possuntq; in Baronis suis, quod potest Imperator in universo, non secus ac comites, aliq̄ue Titulati. *Schrad. de Feud. p. 10. Sect. 1. num. 33.*

XXV. Hactenus de personis Homagium exigentibus, quibus etiam adhuc civitatum Imperial. Municipalium jura addi potuissent, aliaq; huic loco non inconvenientia, nisi chartæ angustia ad personas Homagium præstantes h. e. subditos accessum facere suaderet. Intelligimus autem hæc subditos, qui habitant in territorio alicujus vel Principis vel Magistratus, ibiq̄ue domicilium (i. e. larem, in quō quis est cō animo, ut ibi perpetuō consistat) habent constitutum *l. domicilium in gl. in verbo incolis. D. ad municip. l. si in patria. 1. cives c. de incolis l. 10. Br. in l. fin §. item rescripserunt. num. 4. D. ad municip. Gail. de Pignor. c. 15. n. 7. §. l. 2. obser. 35. num. 1.*

XXVI. Distinguntur subditi à Politicis in Eminentiores & Inferiores. Eminentiores & imperant & obtemperant. Inferiores semper obtemperant & numquam imperant. De his paullo post. Illos existimo esse Electores reliquosq; Principes tam Ecclesiasticos quam Seculares. Quemadmodum patet *Auß des X. A. zu Wormbs de Pac. Relig. de Anno 1521. §. wieder Landfried* / ubi Imperator talem in modum illos adloquitur: *Daranff befehlen wier allen vnd jeden Churfürsten / Fürsten Geistlichen vnd Weltlichen prælaten, Graffen / Herrn vnd allen andern des Reichs Untertanen vnd getrewen etc.* Qui quidem Homagium exhibent, sed soli Imperatori, cui subsunt. Homagium tamen rursus à subditis suis recipiunt, referente *Maul. de Homag. c. 1. n. 5. Befold. de jurisd. c. 13. in fin.*

XXVII. Inter Eminentiores subditos numeratur etiam ordo Equitum, quorum tres gradus habentur. Primò locò ponuntur

B

illi,

illi, qui tùm avitâ tùm suâ virtute nobiles sunt, secundò, qui suæ virtutis præfidiò solùm instructi, tertiò, qui Majorum dumtaxat ostentant imagines, propriæ virtutis egentes. Schönborn *lib. 3. Polit. cap. 39.* Hi licet Superioribus obtemperent, rursùm tamen sibi subjectis imperitant. Quod etiam ab Ordine Litteratorum in Academijs observatur, in quibus studiosos Magistratui Academico, aliàs Superioribus obnoxio, Homagium præstare & juramento subjectionis ad obedientiam se obligare oportet; Prædictus Dn. D. Carpzov. *Disp. Inaugur. th. 38.* Besold. *1. Polit. 12. th. 46.* Cothman. *Conf. Acad. 29. n. 133. & seq.*

XIIX. Litterati sunt vel Doctores, vel Licentiati, vel Magistri. Inter Doctores Theologi Sacrarum litterarum Sacerdotes propter Objectum divinum primas tenent. Matth. Steph. *de Jurisd. l. 3. p. 2. c. 4. n. 16.* Quos insequuntur Icti, jurium Sacerdotes *l. 1. ff. de J. & J. Nobilissimi l. 2. §. vlt. D. de excus. tut. l. 7. C. de postul. Illustres l. 2. §. fin. D. Qui pet. tut. dicti.* Quorum privilegia cum equestri dignitate juris dispositione connectuntur *N. A. zu Aufspurg. De Anno 1500. §. Die von Adel.* Ictis postponuntur Medici eam ob causam, quod Jurisprudentiæ Objectum sit conservatio totius hominis & Reipubl. Medicinæ verò dumtaxat corporis. *Reinf. lib. 1. cl. 5. c. fin. n. 50. & seqq.*

XXIIX. Doctores sequuntur Licentiati non à Licentiâ peccandi, verùm Doctorandi nomen habentes, & pro Doctoribus habentur in causis favorabilibus maximè. Tolozan. *de Art. Jur. c. 34. n. 18.* Matth. Steph. *de jur. l. 3. p. 2. c. 14. n. 98.* Cum quibus confer Dn. D. Carpz. *De Regal. th. 19.* eruditissimè differentem. His proximitatis nodò adstricti sunt Magistri Liberalium Artium, qui etiam Doctorum privilegia habere dicuntur, de quò tamen dubitat Thom. Sagitt. *In Disp. inaug. th. 19.* Quibus accensentur Baccalarii, Poetæ, Oratores. *Id. d. Disp. Dan. Ott. de jur. publ. c. 19.*

XXX. Eminentioribus subditis adduntur & Magistratus Opidani & Milites nomen ducis habentes, quorum illi quidem Principibus; hi Imperatoribus exercituum generalibus Homagia præstant, sed vicissatim à suæ jurisdictioni obnoxiiis postulant. Vti consulendo docent Autores præcitati.

XXXI. Fuit

XXXI. Fuit prima species subditorum modò imperantium modò obtemperantium; succedit altera semper obtemperantium, numquam imperantium. Hi post Mercatorum, Oenopolarum, Aromatariorum &c, ordinem sunt vel liberaliores vel sordidiores. Liberaliores sunt Typographi, pictores, sculptores & Aurifabri. Sordidiores sunt pelliones, futores, coqui & ejus farinae homines alij complures, qui circa talismodi materias sunt occupati, quibus corpus inquinatur. De reliquis subditis, ut sunt coponæ, aurigæ, bajuli & ejusmodi operarij aliquid desiderantes ablegamus ad Dn. Keckerm. & Schönborn. qui emunctius & prolixius de hac materiâ scripserunt.

XXXII. Porro subditi discriminantur in Originarios & Adsumptos. Originarij alij Naturales ortum à patre subditò ex originariâ civitate ducentes Homagium præstant, quando jus proprij foci habere privilegiisque civium uti cupituriunt, *Wenn sie Feuer vnd Rauch halten wollen vnd Bürgerliche Nahrung treiben/* & circiter ejus præstationem immunitate quâdam gaudent, quippe exiguam tantum pecuniam loco *des Bürger Geldes* pro receptione in numerum civium solvunt. Cl. Dn. Knich. *Ein gebohrne* nominat *3. Encyclop. n. 21.*

XXXIII. Adsumpti alij Voluntarij consensu & suffragiò Magistratus jus civitatis redimentes tenentur præstare Homagium Dominis, à quibus volunt in Album civium inscribi, & precium recipiendis extraneis designatum deponere. Vti luculenter constat ex *ICtorum & Politicorum* scriptis. Dn. Knich. *Winfömlinge* vocitat *d. l. n. 20.*

XXXIV. Consideravimus usque huc Materiam Homagiale; Formam nunc ut contemplemur legitimæ Methodi ratio exposcit. Estque vel Essentialis, vel Accidental. Essentialem autumo esse mutuum Dominorum & subditorum obligationem. Huc quadrare videtur illud *DO VT DES.* i. e. Princeps non solùm subditos Homagij nexu sibi devinciat, contributiones, servitiaque abisdem postulet; verum etiam vicissim fidelitatem (nisi speciali pacto vel consuetudine aliud sit inductum) addicat, libertatesque & privilegia confirmet, uti videre est ex obligatione Principum, cujusmodi formulam *h. l. ex lib. stat. Civit. Colon. fol. 9.* inferere

placet. Wir N. von Gottes Gnaden Erzbischoff der H. Kir-  
chen zu Cöllen/des H. R. R. in Italien Erbkanzler thun fund/auff  
das zwischen vns vnd vnsern Lieben Bürgern vnd der Stadt zu Cöllen  
freundliche verbündnuß ganze heimligkeit vnd rechtlich frleden ach-  
termahls vnverbrüchlich bleibe ohn arge list / so Vhrkunden wir mit  
diesen is fegeuwertigen Brieffe/dz wir gelobet vñ gesichert haben/ gelos-  
ben vnd sichern in gutten trewen alle Recht vñnd Freyheiten/die vnser-  
ren lieben Bürgern von Keysern vnd Königen etc. gegeben/verlehend/  
bestetiget/confirmiret sein/ auch ihre gute gewonheiten /so sie von Al-  
ters hergebracht vnd nun haben in geschribten oder auffer geschribten  
alt oder newe fest / stet / vñnd vnverbrüchlich zuhalten vnd zubestets-  
tigen.

XXXV. Accidentalibus consistit in actu sollempni circa Homagij  
præstationem, qui pro consuetudine cuiusque ditionis institui-  
tur. Olim quotannis cives Romani in facta Augustorum iura-  
bant, & quidem Cal. Jan. Sed hodiè aliter observatur, præsta-  
tur namq; Homagium, quoties est mutata persona Principis o-  
bitu vel alijs modis. Et fit hoc vel separatim, vel conjunctim.  
Separatim ordo Nobilium die von der Ritterschafft / Consiliario-  
rumque & Officialium in Aulis plerumq; jurare ad solent. Con-  
junctim subditi reliqui universi & singuli publicitus & sollempni-  
ter in curiâ vel alijs Locis, istis actibus destitatis, Als zu Zerbst vffu  
Nemen Hauße/ ut vocant, capite nudatò, & digitis erectis, juxta  
morem cuiusque loci hunc fermè in modum Homagium præ-  
stant. Ich N. gelobe bey meinem wahren Trewen an E. vnd des stad/  
das ich dem Durchleuchtigen vnd Hochgeboren Fürsten etc. Als  
Regirenden meinen rechten Natürlichen Erbherrn vnd Landes Für-  
sten vnd dero Erben vnd Nachkommen Vnterthenig/gehorsam/Holt  
Trew vnd gewertig sein/seiner Fürstlichen Gnaden frommen fördern  
vnd schaden wenden/auch in allen sachen was ein getrewer Lande Saß  
vnd Vnterthan seinen rechten Erbherrn vnd Landes Fürsten zu thun  
schuldig ist/getrewlich thun sol vnd wil/ohne arge list vnd gefehrde etc.  
Gail de Arrest, c. 6.

XXXVI. Sed ad finem properandum, quem leviter & breviter  
perstringemus, cum ex superioribus aliquodam modò perspicui  
possit. Consideratur autem vel ratione Principum, solum, vel  
vel

vel ratione Principum & subditorum simul. Ratione Principum solum est, ut suspicio à subditis seditio- num, conspiratio um aliarumq; machinationum, publicam tranquillitatem per- turbantium tollatur, & Principes adsecurentur. Nam nisi se- curi sint Principes, pax quoq; salva esse nequit.

XXXVII. Ratione Principum & subditorum simul Homagi- um praestatur, ut sit pax & concordia perpetuò inter Principes & subditos, ut per id Dominus & subditus tamquam caput & mem- bra in unum corpus politicum ita coalescant, ut caput pro mem- brorū & membra pro capitis statu conservando sedulo occupen- tur.

XXXIIX. Quando hieidem Homagialis contractus coeperit, in- ter DD. non convenit. Nos non de Jure Civili sive de jure Scrip- to, sed moribus & diutinò usu introductum esse cum Specula- tore *S. Quoniam vers. secundo queritur de Feud.* adfirmamus, qui legem imitantur *S. sine scripto Inst. de Jur. N. G. & C.* Atque iste contractus consuetudinarius in sacro Codice quoq; fundatus, ceu constat ex *Ios. 1. vers. 17. 2. Sam. 5. vers. 3. & c.* conferatur Maul. *de Homag. tit. 1.*

XXXIX. Paucis etiam de Effectu agemus, qui itidem est vel respectu Domini vel respectu Subditorum. In personâ Domini hoc efficit, ut subditos efficacius sibi adstringat adque obedientiam coarctet; Cujus species ad duo puncta revocari possunt, Partitionis nempe & Comparitionis, in quibus omnis consistit subjectio. Subditus enim mandatis Superioris parere & coràm eò comparere omninò tenetur. *Cothm. vol 4. Resp. 3. num. 206.*

XL. In personis subditorum hoc operatur, ut nimirum, Prin- cipe territoriali recognitò, ab eodem protectionem & defensi- onem nanciscantur, justitiæque administrationem & religionis tuitionem. Videatur praestantissimus *Reinck in doctissimo tractatu de Regim. Ecclesiast. & Secul. 1. cl. 5. 2. & alij plures.*

XLI. Subjecta atq; Adjuncta cum ex Antecedentibus cognosci que- ant, ea propter hoc loco non attingentes, ad Contraria Homagij crassa Minervâ prolabimur. Et licet regulariter omnes, qui do- micilium in alicujus territorio fixum habent, subditi ejusdem territorij intelligantur, & ob id ad subditij Homagij praestatio-



nem compellantur, nihilominus tamen fallit hoc si se ab ejus-  
modi præstatione immunes demonstrant. Maul de Homag. tit. 1. n.  
4. 5. & 8. Wesemb. conf. 37. n. 10. Sunt enim monasteria, sunt Ec-  
clesiæ, sunt castra, quæ in aliorum possessione & eis subjecta sunt,  
quamvis in alterius territorijs sita. Hinc multi Comites, Baro-  
nes in alicujus Principis ditionibus villas habent, quarum ta-  
men ratione, quoad jurisdictionem subjecti non sunt. Mynsing.  
resp. 6. num. 47. Matth Steph. de Jurisd. cap. 7. n. 6.

XLI. Causæ autem hujus exemptionis esse possunt, Privilegia  
peculiaria; & nimia Sævitia Magistratum; Mutatio item do-  
miciliorum, quando videlicet subditi in alterius territorium ad  
habitandum emigrant. Quod tamen in hominibus proprijs  
secus se habet, qui sine dominorum consensu nõ solum territo-  
rij solum non vertere; & alienæ jurisd. se subijcere, verum etiã, ne  
filias aliò nuptum dare possunt. De quib9 vide Hufan. de Hominib.  
propr. Accedit Relegatio & Præscriptio potissimùm.

XLII. Verùm quoniam nulla res tam clara est & patens, ut non  
in sollicitam dubietatis aleam trahi possit Novell. 44. §. nos au-  
tem. Eo circa argumentò hoc non inconvenienter sub finem  
hujus disquisitionis adnecti posse sequentes velitationes omni-  
nò existimamus. Quæritur ergò *utrum principum in impuberi etate  
constitutorum Tutoribus Homagium præstandum?* Et constat ex Iur.  
Civili, quod qui per ætatem se defendere nequeunt, aliorum  
subijciantur tuitioni §. *impuberes Instit. de Attil. Tutor.* Quùm verò  
defectui illi tum Reges tum Principes sint obnoxij; igitur illis  
Tutores adjunguntur & Principatum Administratores, cap.  
*grand. de supplend. negligend. Prælatorum l. 6. Schrad. de Feud. p. 10.  
sect. 19. n. 43.* Hisce Tutoribus & Administratoribus meritissimò  
Homagium præstari debere, intrepidè adserimus cum Dn. Go-  
dofred. *Per ea, que tradit de Tute l. Electoral. p. 104.* Vbi ex A. B. in  
scenaem producit exemplum Iohannis Ducis Bipontini tamquã  
Palatinatus Administratoris, qui à subditis vniversis cum Rhe-  
nanis tum Bavaricis Homagium postulavit, quod ipsi libenti  
animò exhibuerunt. Idem in alijs Principatibus, Ducatibus &  
Comitatibus in viridi usu esse, Doctissima rerum Magistra atte-  
statur. Antetriennum, nifallor, vicinus Anhaltinatus, Patria  
mea



mea charissima, id ipsum quoq; condocfecit, cum post pij Rudolphi obitum relictæ minorenis Principis, Domini Iohannis Tutor Illustrissimus Dn. Augustus, uterque Princeps ac Dominus meus clementissimus, à subditis sollempni modò Homagium recepit, & am. bonò remigiò vicem Illustris Pupilli gerit, justitiam administrando & Constitutiones provinciales *Lands ordnungen* promulgando &c. Omnia tamen sub titulò nomineque & tamquam Tutor futuri Principis. *Arg. l. complures. 12. §. cum Tutor. 3. Dn. Knich. de Iur. Sax. non prov. c. 5. n. 4. Donec plenam & justam pubertatem consequatur, quæ de Iur. Canonico non ex ætate, sed generatione conijcitur C. puberes. C. de illis &c. v. t. de Despons. impub.*

XLIII. Hinc intuitu hujus quæstionis alia resultat non levis armatura disceptatio, circa quam DD. acriter & alacriter digladiantur. *Quenam legitima sit ætas, & quis pubes censeatur?* Puberem Cassiani eum esse dicebant, qui habitu corporis pubes adparebat h. e. generare poterat. Proculeij verò, qui quatuordecim annos expleverat. Veteres pubertatem non ex annis tantum modò verum etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant. *Pr. Inst. t. 22.* Verum Imperat. Majestas Proculianorum sententiam amplexa pubertatem in masculis post decimumquartum annum completum, illicò initium accipere statuit, femellas verò post duodecim annos completos viripotentes esse. *dict. loc.* Hisce autem non refragantibus Carol. IV. *In constit. Aur. Bul. tit. 7.* eum dicit puberem, qui 18. Annum attigit, quæ ætas Longobardorum quoque Jure legitima fuit definita. Quib. omnib. jus Saxonicum contriatur & ætatem absolutam constituit 21. An-  
*norum Landrecht, l. 1. Art. 42. Schrad. de Feud. p. 4. cap. n. 67. t. 1. Wefenb. conf. 52. n. 83.* Nostram opinionem conflictus expecto-  
rabit.

XLIV. Discutientia hæc advolat & illa quæstio, *an qui bona in principis alicujus territorio possidens, in eadem verò domicilio non habens ad subditiij Homagij præstationem compelli possit?* Negativa Patronos habet Dn. Vultejum & Schneidvv. aliosque plures, qui hanc sententiam communem & consuetudine adprobatam scriptitant, *l. 1. de Feud. c. 6. num. 6. Epit. Feud. p. 5. n. 63. Circa finem.*

Quæstio

Quæis nos etiam ad stipulandum putamus. Quod si verò aliquis Jurib. civium gauderet, & maximam bonorum partem inibi haberet, ille peræque ad exhibendum illud homagium cogitur. *Arg. l. 2. C. ubi senat. confer. Zang. de except. p. 2. c. 1.*


XLV. Verum enim verò, annon etiam de Reverendissimò nostro Papâ velitationis quid examini subijcimus? qui omnia ut Deus, non ut homo facit *c. inter de transl. Episc.* Nec ullus ei dicere potest, cur ita facis? *Spec. tit. de Leg. §. nunc ostendendum vers. 89.* Accede age, Dn. Pater, etiam ad ignem hunc, lubet de te quærere, *num prima tibi circa Superioritatum jura, posthabitò Imperatore, adjudicande?* pleno impetu pro te pugnat Paullus IV. qui te Reges facere, Regibusq; imperare Albano respondit, teste Thuano *histor. lib. 17.* Imò non Imperator solum es juxta Bonifacium VIII. Scribente Alciat. *de form. Imp. Rom.* Sed etiam Imperat. quantum Sol Lunæ, aurum plumbo præstas *c. solita §. præterea de major. & obed.* Quid referam? Ipsus Imperator abs te Imperium Romanum in feudum recognoscere *c. Romani vers. nos præmissis clem. de jurejur.* Eiusque nomine tibi juramentum fidelitatis præstare obstrictus dicitur *c. tibi Domino dist. 63. c. venerabilem ex. de de Elect.* At abeste testimonia ad rem nihil facientia, contrariamini namque textibus Sacris, & estis ex cerebellis Pontific. profecta, vobis tamquam domesticis parum imò nihil fidei tribuendum, ex *l. nullus D. de testib. l. etiam §. ibi Dd. de test. Prosp. Farin. de test. q. 55. n. 1.* Audi, mi Papa, vocem divinam ex Luc. & Matth. Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Folium ergò vertentes in verrecundè cum Bod. dicimus, te Imperatoris subditum esse & vassallum: Non enim Impp. à Pontificibus, sed Pontifices Impp. largitione nobiliss. Imperij ditiones tenent. *lib. 1. de Rep. cap. 9. Vult. lib. 1. Feud. cap. 4.* Eorumq; jura omnia in manu Imperatoris sunt. *c. conver. caus. 23. dist. 21. & c.*

XLVI. Sed heic terminus esto. Quamquam hæc fusiùs tractanda fuissent & tractari potuissent, præsertim cum sese offerant cogitationib. tam multa, ut præ nimietate ad vmbilicū devenire vix possim, limitibus tamen pagellarum præscriptis exclusi, augustæ materiei licentiùs indulgere desinimus, ignosci postulantes, si quid minus ex asciatè prolatum. Forsan in acie limitatiora evaporabuntur.


*Summa sit o Summe in Secula laus*  
T R I A D I.










































Ms 1249

8<sup>o</sup>

X2207122

ULB Halle


3

006 635 644



M. G. V. D. A.







ORATIO POLITICO-  
JURIDICA

De

MAGGIO,

ndes oder Erbhuldigungel/  
o opitulante Numine,

SUB

PRAESIDIO

ssimi Consuleissimiq;  
VIRI,

rembergk/J.U.D. IN INCLV

a Pragmaticij eximij, Praeceptoris &  
ratissimi, semperq; ad animum  
colendi;

demis Discursibus  
praesentata

BERTI ANHALTINO.

15. Octob.

6 2 4.

matutinis & locis solis.

TEBERGAE,

HAKENIANIS.

